

modo essentia in Deo est prior existentia, quum essentia Dei sine existentia concipi non possit, & nec quidem per operationem mentis ab ipsa distinguatur: Respondemus illico, quod aut essentia Dei consistit in eo, quod sit ens omnimode perfectissimum, & existentia Dei, quum sit esse perfectissimum in tali genere, hoc est in genere essendi; utique ex illo universali hoc peculiare colligimus, & inferimus; & dum illud universale concipimus, hoc peculiare confuse quidem, & implicite concipimus, quod postea per demonstrationem

explicite inferimus, & probamus. Aut essentia Dei ponitur in eo, quod sit ens a se; & quum existentia Dei importet independentiam in tali genere, nempe in genere essendi, bene deduci potest ex a seitate, per quam intelligitur independentia plena, totalis, & in omni genere. Et hoc pacto optime constat, quomodo Dei essentia sit prior Dei existentia; prior scilicet per opus mentis eo modo, qui sit satis ad hoc, ut per Dei essentiam Dei existentia quasi a priori demonstretur.

DISSERTATIO VI.

De Atheorum Argumentis, & de Responsis ad illa.



UÆ Athei, infano quidem ut consilio, ita & ratiocinio, contra Dei existentiam opponunt, loculentissimo calamo refert, & ad nihilum redigit, præstantissimus P. Merfennus; & eo sane felici auspicio, ut quamplures ex illorum lectione, errorem suum detestantes, ad veritatem redierint. Utinam Deus exiguum hunc laborem nostrum ea plenitudine benedictionis aspicere dignetur, ut aliquando ex Legentibus omnes, si qui sunt, qui insipido hoc errore detinentur, veram sapientiam, quæ in cognitione veri Dei consistit, consequantur! Cæterum sciant isti Divinitatis Censores, seu potius Judices ineptissimi, ut iniquissimi, non ideo Deo detrahendas esse a quoquam perfectiones suas, quia hæc intellectu suo imbecilli, & imperfecto consequi non valeat. Plerumque hoc evenit, vel ex limitatione, vel ex imperfectione, intellectus; aliquando etiam ex pravitate, vel ex superbia, voluntatis; & Deus quoque, in pœnam ut plurimum, permittit, illis non esse perspicuas rationes, quas alii clarissima cognitione percipiunt. Ex hoc igitur inferendum putabunt, vel non esse, quæ non cognoscunt, vel non ita esse, ut non cognoscunt? Ineptissimus arguendi modus, quem quidem sapientissimus Ecclesiæ Doctor Augustinus, aut deridere, aut flere, prosequatur! Hæc enim scribebat de dono perseverantiæ cap. 14. *Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse percipimus, non ita esse, quoniam cur ita sit*

non possumus invenire? Nunquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendere non potest quod occultum est? Ex Atheorum igitur argumentis hic afferemus quædam, quæ nobis visa sunt magis illis placentia; iisdemque opportuna dabimus responsa, si Deus votis nostris arriserit, a quo omne bonum expectamus. Cætera apud laudatum P. Merfennum relata, & soluta, legendam remittimus.

Obiiciunt ergo Athei I. Ex Solis, & Lunæ; defectionibus, ex cæterorum astrorum alterationibus, ex corporum cœlestium corruptionibus, quas dicunt in cœlis aliquando se adnotasse, arguunt, aut non omnipotentem, aut non sapientem, fuisse Auctorem, qui illa efformavit. Opera enim illa, quæ sunt cæteris præstantiora, debuisset sine defectu producere; & si quæ potuissent in illis esse mala, debuisset etiam illa, aut propellere, aut impedire. Quod quum non fecerit, neque faciat, argumentum est, quod ille, aut non possit, aut nesciat, efficere. Primum indicat, non esse omnipotentem; secundum, non esse sapientem; utrumlibet, non esse Deum.

II. Conceptum entis a se volunt, esse conceptum rei impossibilis; quia impossibilis est res, quæ sibi contulerit suum esse. Hoc autem probant hoc modo. Impossibile est, idem posse a se aliquid recipere, & posse sibi aliquid conferre; sic porro esset res, quæ sibi contulerit suum esse: ergo impossibilis esset res, quæ sibi contulerit suum esse: Hoc autem in suo conceptu importat ens a se; ergo impossibilis est conceptus entis